



117

48

yy) 52.

בְּשֵׁם הַקָּדוֹם

EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM

De

Prodigiōsæ Manus

Scripturâ in Aulâ Babylonicâ,

ad C. V. Danielis,
publicæ placidæq; sistunt disquisitioni
P R Æ S E S

M. MICHAEL Liebentantz/

&


RESPONDENS

CASPARUS NIBLIGIUS,

Vratislaviâ - Silesii.

A. D. III. Aprilis, A. O. R. clj IjC LXI.

In Auditorio Minori, Horis antemer.



WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.



22

Prodigiosa Manus

M. MICHAEL S. ...





Admiramur Artem, rapimur extra nos Natura stupendis viribus, perterriti contremimus ad summam summi Numinis Majestatem. Multum enim prestat Ars, plus valet Natura, at DEUS Gloriosus plurima haut tantum, sed omnia potest. Artis erat Suboles Scriptura illa, quae Nomen PAULI V. in Pontificem Romanum modo electi, sub porticu ad Parietem quendam recessim rursus versus spargebat, quam Pontifex Porticum transeundo, stupefactus penè intuebatur. Artis penes potestatem haut dubiè foret etiam, manum in conclavi representari Chalybeam, quae $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\varsigma$ ac suo pte motu quadantenus, Scripturam exararet, atq; spectantes consternaret subito. Verum, si emissitiâ mentis Acie rem pervideamus, isthac Artificum felicitas à Naturâ est, à quâ si sufflaminaretur, inermis Ars jaceret omnis. Natura proinde, ditissima Mater, uti aurum Aurifabris, Colores pictoribus, & æra tormentorum fusoribus subministrat, ut habeant, in quo superbiant, in quo suas periclitentur Vires: ita, ut prius ostentaretur opus, imperscrutabilem suum LUCIS & UMBRÆ Thesaurum obferre debuit; ut posterius, MAGNETIS valentissima Auxilia suppeditare. Usq; adeò Ars non nisi benignâ Naturâ obstetricante suam eniti subolem potis est. Sed nec Natura, quantumvis potentissima, sine eâ Naturâ, quæ omnia naturat, quicquam valet. Hinc omne negotium & consummatissimum Robur ad DEUM devolvitur. Hic solus sine materiâ agit, & extra & supra Naturæ leges, omnium efficiens, omnium forma, omnium finis, omnium sustentaculum, graviter censente Beatiss. SPERLINGIO. Hic, ut, quæ fata tremenda manerent Principem luxuriosum ac maledicis faucibus sibi insultantem, decerneret, non vatem primò, sententiam decretoriam denunciaturum, nec audacem militem instruebat Regem internecioni daturum. Scripturam sistebat $\alpha\pi\omicron$ $\mu\eta\chi\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$ quasi in Regiâ Belsazaræa ad parietem, omnibus cum stupore lingvæq; debilitate intuentibus Manum, à Corpore abstractam, sine fulcimento, sine retinaculo, sine motore, solo nutu in Aere pendulam, ac Scripturam portentosam exarantem mirandis motibus. Rapit nos in sui Indaginem scriptio hæc insolita, sequimur meritò, exposituri ea, quæ de causis ac circumstantiis ejusdem, attamen Carceribus, quibus constringimur, non effradis, $\gamma\epsilon\gamma$ rimari licuerit. Ut res cedat FELICITER

בהנחה:

V. Cl. Schöbelerus part. IV. Deliciar. Physico-Mathem. Prop. XV. & part. VIII. Prop. III.

aMeditat. VII in Scaliger. Exerc. p. 137.

§. I. Exorsa à *Nomine* haud injuriâ petimus. Insignitur autem hæc Scriptura apud Daniele. c. V, 7. 15. כתב (vitiosè fortean Genevensia Exemplaria ψ. 7. כתב legunt) & ψ. 8. 16. 17. & 25. כתב in formâ emphaticâ. Simplex est כתב non nisi semel in Danielis Prophetiâ, at in Esdræ, Estheræ, aliisq; Libris duodevigies, si Ebraicis Concordantiis fides habenda, occurrens. Utraq; tamen, ubi ubi jam inveniatur, potestate gaudet ambigûâ. Accipitur enim non generatim modò pro quovis, quod scribitur, aut scribendum censetur, sed in specie αὐτονομίας pro Scripturâ Sacrà vel ipsa totâ, uti in Targ. Hierosolymitano; Vel ejusdem Libro, Luc. XX, 42. בכתב h. e. in Libro Psalmorum; vel Libri dicto, Luc. IV, 21. Hodie Scriptura impleta est, ubi tantùm de Vaticinio Esaiano sermo est. Deinde rescriptum notat aut prescriptum jussu superioris in litteras redactum. Esther. IV, 8. c. VIII, 8. c. IX, 27. Esr. VI, 18. 1. Paral. XXVIII, 19. Porro Numerum, Indicem, Catalogum, Seriem, præprimis Genealogicum. 2. Chron. XXXV, 4. Ezech. XIII, 19. Esdr. II, 62. Nehem. VII, 64. Confer. Esr. VII, 22. ubi כתב verbaliter nonnullis Interpretum, Ariâ, Pagnino, Tremellio redditum est, cum Nomen verius sit. Dehinc & Epistolam significat sive litteras. 2. Paral. II, 11. quæ significatio Judæis præcipuè hodiernis familiaris oppidò est, unde etiam Synonymum epistolæ est CL. Buxtorfio.^b Postea formam notat scriptionis diversas apud gentes diversam: Sic dicitur כתב עברי Scriptura Ebraea, cujus itidem כתב h. e. Scripturæ aliæ dantur, quas recenset CL. Schikardus.^c Uti sunt, Quadrata, tum vetus illa, pingvior & undulata, tum recentior ac visu gracilior, nec non currens, Hispanorum, Gallorum, Itolorum & Germanorum Judæorum. Vid. Esther. I, 22. c. III, 12. c. VIII, 9.

^b Instit. Epist.
p. 2.

^c Horolog. reg.
p. 28.

§. II. In præsentī applicanda venit notatio, quâ effectum sive opus post scribendi actum monimenti gratia residuum indigitat. Hæc generalis est, id propter etiam à Paraphrastis, generalibus expressa vocibus, puta γραφή, à τοῖς LXX. Scriptura, à Vulgato, Schrift à B. Luthero, הכתב, ab Ebrais, qui fortè פרושׁ in h. l. scripserunt Stilo Ebraico: Propriè enim sic dicitis

habent *αἰγύπτια*, Vulgatus *Secreta*, Pagninus & Oecolampadius *Problemata*, Interpres Græcæ Edit. *Occulta*, R. Jachiades *הסודות Arcana*. Nihil obstat tamen, quò minus *sententiola illa angelicâ manu in pariete Regis Chaldaorum exarata, laxè acceptâ*

h Rhetor. Sacr.
Tract. I. c. 22.
p. 506.

Voce Enigma vocetur cœlitus datum, vel αἰνυματιῶνς sermo: sicuti & dicitur B. Glassio. h

§. IV. Secunda Vox est *קָטַר* à *קָטַר* *ligavit, colligavit, devincivit*, dubio procul eâdem cum *קָטַר* Ebræâ Radice, cujus etiam derivatum *קָטַרִים* Jachiades adhibuit. Unde significaret, *Ligationem, Ligaturam, Nodum, Vinculum, & metonymicè, rem nodosam, difficilem & implexam*. Enimverò fatidica Scriptura hæc plusquam Gordius, quibus obferebatur enodandus, fuit nodus, antequam divinitus Ingenii Acumine armatus Daniel capita significationum in nodis latentia, resolutis nexibus inveniret.

h Lexic. Chald.
Talmud. Col.
1864.

§. V. Tertium Synonymum *ἑρμηνεύω* *בְּשֵׁרָה*, Interpretatio propriè aliàs, jure diceretur. Haud inficiamur quidem,

h Lexic. Chald.
Talmud. Col.
1864.

Phrasin Regis *פְּשָׁרֵי לְמַשְׁפָּר* à Cl. Buxtorfio, nec non

h Paraphrasi in
Jacch. Dan. el.
p. 97.

Tremellio commodum exponi, *Interpretationes adferre*; sicut & à B. Megalandro Nostro die Deutung geben: nec illam Constax-

h Gram. Sacr.
Tr. III. can. 32.
p. 335. 338.

tini *L'Empereur* * Expositionem rejicere animus est, quâ locutionem Jacchiadis, paraphrasticam hujus *פְּשָׁרֵי לְמַשְׁפָּר*

reddit, *interpretari exactissimè*. Lubentiores tamen suffragamur iis, qui verba ipsa pressim secuturi, vertunt, *Interpretationes interpretari*, quod cum laudato Rabbino, Arias, Oecolampadius, ex parte quoq; Græca præstant, idq; eo, quod secundum

exactissimum Philologum Dn. D. Glassium *in talismodi Conjugatorum Nominum rectionibus, ipsum Nomen vel in Casu ultimo, si*

emphasis significati intenditur; vel in casu Accusandi, si effectum vel objectum Actionis innuitur, optimè explicetur. Jam vix locum

invenit hîc prius. Arripiendum E. erit posterius, uti in locis

inibidem allegatis Gen. I, II. c. XXVII, 3. (al. 5.) Zach. III, 9.

attamen ita, ut *μετανομιῶνς* Adjunctum occupatum, *Actio*, pro

Objecto suo ponatur, h. e. *Interpretationes*, pro rebus ex obscuritate suâ interpretatione indigis; quemadmodum benè Vulgata

& San-

& Santes, *obscura interpretari*. Huic gemina exstant loca Gen. XLIII, 10. Deut. XXVIII, 8. 1. Sam. I, 27. 2. Thess. I, 11. hunc in modum à B. Glassio *m* exposita. Et sanè harum vocum quaternio tam obscura ac perplexa fuit, ut Daniele Oedipo solo resolvi potuerit.

m Rhet. Sacr.
Tr. 1. cap. 4.
p. 67.

§. VI. Sed plus satis *ὀνομαστικῆ* datum est, ad causas REI quoq; transeundum. Et principio quidem DEUS in Coelis admirabilis EFFICIENS principalis fuit extra naturæ ordinem operatus portentumq; Regi Epuloni minatus. *Digitos* enim manus humanæ egressos vel apparuisse adserit Daniel, scripsisseq; Rege intuito Partem Manus scripturientis. Quod digitos hosce vocat פֶּסֶן יָדַי & פֶּסֶן יָדַי יְהוָה, argumento est, non quidem tres tantum fuisse visos, quotenos Doctorum antiquiorum quosdam, Mysterium S. Triados ex tribus istis Unius manus scribentis digitis contra faciem Belsazaris convivantis, adscito loco Esai. XL, 12. confirmaturos statuisse ex B. Gerhardi *n* recensione colligimus; sed *Manum truncatam à Brachio, seu anteriorem Manum solis constantem digitis, non manum integram, uti Junius in Versionem Tremellii, & Robertus Rollocus Scotus o* monent. Nam פֶּסֶן partem, particulam, frustum notat. Unde פְּסִיִּים כְּתוּרָה Gen. XXXVII, 3. *tunica particularum* i. e. ex variis particulis versicoloribus consuta, quam mali ominis causâ Jacobum Josepho, præter ceteros dilecto, comparasse, ex voce פְּסִיִּים Cabbalists colligunt, sic enim ipsi, notante CL. Hackspanio *p* inquirunt: פְּסִיִּים נוֹטְרִיקוֹן פּוֹטִיפָר פְּסִיִּים שׁוֹמְרֵי־יִשְׁמָאֵלִים מְרִיִּים i. e. *dictio פְּסִיִּים per Notaricon innuit Potipharem, Negotiatores, Ismaelitas & Midianitas, in quorum manus Josephus venditus incidit. Græci Seniores pro nostro פֶּסֶן voce ἀσπαγάλω utuntur, & singulari & plurali, ut manus non tam ipsa, quam Manus portio cum Articulis & digitis se moventibus & scribentibus indigitetur.*

n Exegesi T. I.
LL. CC. loc. 3.
S. 2. p. 240.

o Comment. in
h. l. p. 176, 218.

p In Cabbala
Judaic. S. XII.
p. 292.

§. VII. Porrò אֶצְבְּעַן יָדַי אֲנִי Digiti vocantur *Manus* Hominis, sive posteriori Substantivo Adjectivè expresso, *Humane,* juxta Præceptionem CL. Buxtorfi *q* & Dn. Fesselij. *r* Et quidem ἄνθρωπος. Omissa quippe est nota Similitudinis, quam Ebraei

q Thesaur. Gr.
lib. 2. p. 359.
r Part. 2. Ad-
vers. Sacr. l. 6.
c. VI. S. 23.

כְּתוּרָה



כְּחַשְׁיָעוֹר & כְּהַמְתוֹרָה כְּהַרְמוֹן salutant, ad differentiam
 כְּחַשְׁיָעוֹר, quorum illud *confirmanda sententia*, hoc *conjectura*
 vel circa numeros, vel mensuram exprimenda infervit, declarante
 id Dn. D. Thomà Bangio.^s Cujus Ellipseos plura exempla videas
 apud D. D. Glassium.^t Hinc conterminam huic phrasin plenè
 exprimit Targum i. Reg XVIII, 44. *Parva nubes* כַּפֶּסֶת יַד גְּבַר
 כַּכָּה אִישׁ. sicuti pars manus viri adscendebat è Mari. Ebr. כַּכָּה אִישׁ.
 Quemadmodum autem Dan. VIII, 16. קוֹל - אָרָם *Vox Hominis*,
 non propriè humanam vocem, sed vocem Filii DEI *divinus* in
 formâ humanâ apparentis designat. Sic nec, qui comparent
 h. l. digiti, manus fuere humanæ, si essentiam spectes, sed effi-
 giem ejus repræsentarunt modò, ut à quovis dignosceretur ad-
 similita verè humanæ.

§. VIII. Nihilominus, nec DEI ipsius Incorporei Manum
 fuisse, facile quispiam concesserit, quamvis Ei Scriptionem
 Codex sacer sæpiculè adscribat, quâ de graviter Dn. D. Walthe-
 rus^u differit; nec sigillatim Filii DEI, quem *Scripturam mysti-*
 cam, digiteam, defensivam & animatam adpropriasse sibi, Meri-
 tissimus Theologus B. Balduinus,^x dilucidè explicat. Nec
 Angelo propriam fuisse manum, Gabrieli scil. cum R. Saadiâ fin-
 gendum est. Substantiæ enim immateriales ac simplices sunt
 beatissimi illi Internuncii, omnis corporeæ expertes molis.
 Hinc nec propriè Digiti corporei iis competunt, quibus tamen
 eos gaudere commentuntur Rabbini, neq; non Samaritani,
 qui *Gabrielem quinq; Reges Urbium quinq; digitis suis sustulisse gar-*
 riunt, quorum Chronicon laudat Dn. Hottinger.^y Interim ex
 Aère fortean (non *ere*, ut Menochius in h. l. vult, aut mendum
 est) ab Angelo formatam & per quandam Oeconomiam sibi
 appropriatam fuisse hanc manus particulam, ut Regi haut tantùm,
 sed universis comessantibus ex æquo adspectabilis foret & con-
 spicua, *ουοφουαδov* ferè Interpretes adnotant. Sequestramus
 Lyranum modò, qui, referente Job. Benedicto Pererio.^z Manum
 opinatur illam non fuisse reale quid, quod extra sensus & Imagina-
 tionem Regis existeret, sed quandam similitudinem Manus formatam
 divinitus, & insidentem in Sensu & Phantasiâ Regis, propter quam
 ille

^s In Cælo Ori-
 riunt. Exercit.
 2. p. 178.
^t Gram. sacr.
 Tract. V. (an-
 31. p. 514.

^u In Orat. de
 Arte Scriptoriâ
 & Conc. 40.
 super Daniel.
 p. 517.
^x Part 2. Pas-
 sion. Typic.
 p. 531.

^y Exerc. Anti-
 Morin. th. 46.

^z Comment. in
 h. l. p. 95. C.

ille sibi visus fuerit videre manum in pariete scribentem, quemadmodum phrenetici multa sibi videre putant, extra ipsos esse, quae reverà non sunt. Succidua hæc est sententia ruitura facile, si quis fulcrum ejus, à solo nempe Rege Manuum visam, removerit. Sanè ideò è regione Candelabri apparuit, ut ab omnibus conspici posset.

§. IX. MATERIA, in quâ Scriptura exarata erat, appellatur **גִּירָת דְּיִכְתָּב** *Tectorium Parietis*. Exstat autem **גִּיר** bis in Codice, estq; ex delineatione Försteri, ^a materia extracta in pulverem lapidibus extracta, ex quâ vel cementum sive calx, sive gypsus paritur ad incrustandum & levigandum parietes, seu pavimenta aedificiorum; unde vel calcem vel cementum vel gypsum vertere licebit. R. Jachiades vocabulo **גִּיר** loco ejus usus est, quod à R. Talmudicâ **גִּיר** *Incrustare, oblinere parietem calce, calce dealbare*, Cl. Buxtorfius ^b derivat. LXX. vocem *κωλυμα* adhibuere, significantem id, quod calce obductum est, opus albarium seu tectorium. B. Luther. Die getünchte Wand. Sicq; metonymicè, Calx parietis erit tectorium ex calce parieti inductum; uti *Linum* pro Ellychnio ex lino factum. Es. XLII, 2. *Ramus*, pro Idolo, ex Ramo Arboris effabricato. Es. XLIV. 19. *Later*, pro pavimentato opere Lateribus constante Exod. XXIV, 10. adhibetur. Conf. B. *Glassium*. ^c Longè minus E. infert Vulgata, Superficiem reddens, ut frustra ex hinc *Hector Pintus Lusitanus* ^d pro Auctoritate ejus dimicet.

§. X. DE FORMA; Hæc duplex evolventa venit, *Externa*, & *Interna*. Illa Litterarum conformationem vocumq; hæc conformatarum concernit sensum. Hæc Aruspices Babel ad enodationem accersitas, Illa Interpretes, Ebræos maximè, torfit. Disquisitum enim est, quibus litteris, quove modo effigiata hæc Scriptura stupenda sit, quidve obstiterit, quò à Viris in diviniori & humaniori sapientiâ versatissimis legimini & exponi potuerit. Et à diversis prætensæ rationes auxerunt, non sustulerunt dubia. Referemus singulas, ut, in quâ acquiescere convenientissimum sit, perspiciamus. (1.) *Stephanus Menochius* ^e hanc sistit rationem: Non potuerunt legere, inquit, quia non integra voces, sed litteræ tantum initiales

B

scriptæ

^a In Diction. Ebr. p. 140.

^b Lexico Chaldaic. Talmud. Col. 1448.

^c Rhetor. Sacr. Tr. I. cap. 1. p. 20. 21.
^d Comment. in h. l. p. 170.

^e Comment. in h. l. p. 314.

scripta erant, scil. M. T. P. quae conjuncta nihil significant, immò ne legi quidem possunt. At, tres litteræ vix merentur, ut כְּתוּבָא seu Scriptura dicantur, multò minus מְלִתָּא seu Sermo, uti appellatur &. 15. Dehinc, Scripturam quæ exarata apparebat, legit Daniel. Legit autem integras dictiones, non litteras.

§. XI. (2.) Ebraicis litteris scriptas fuisse voces, contendunt alii, ut *Hector Pintus*, *f* non Chaldaïs, idq; à Chaldaïs gente, quibus ignorabantur, legi nequivisse. Verùm regerit *Pererius*: *g* Ut scripta fuerit Hebraicè, nihilominus tamen facilis erat ejus lectio, tum propter magnam linguæ Chaldaicæ & Hebraicæ adfinitatem, tum propter diutinam Chaldaeorum consuetudinem cum Hebraïs. Deniq; in promptu erat, unum aliquem de Hebraïs, qui Babylone erant, accersere, quo scripturam illam legente & singulorum verborum significationes interpretante, quid illa scriptura, saltem verbotenus, significaret, ignorare non poterant. Quocirca caduco inclinant parieti, ex hac denegatâ Chaldaïs Lectione, demonstrare arbitrati, Elementa verè Ebraica adservari nunc apud Gentem Samariticam, cui Esra cum suis ob dissidium ἀσ πονδον, illa adsumtis Chaldaicis, reliquerit. Quod audax Characteris antiquissimi pariter, absolutissimi atq; divinisissimi mutandi facinus, ac sine speciali mandato DEI, proprio ausu, susceptum molimen non *Hieronymus* *h* modò Esræ adfingit, sed & propè omnes Pontificii tuentur, si non ratione quadam firmâ, tamen magis nefando piaculo. Contra quos verò nervosè hætenus disputatum est à Magno *Buxtorfio*, *i* Diligentissimo *Schikardo*, *k* Doctissimo Anglo *Füllero*, *l* Beato *Brochmundo*, *m* Celeberrimo *Calovio*, *n* & *Dn. D. Bangio*, *o* aliisq; qui conferantur. §. XII. (3.) Neutris, de quibus dicebamus, exscriptam fuisse sententiam illam Characteribus, utut fuerint voces Chaldaicæ, sed peregrinis fortè, extraordinariis & insolentibus statuit, *Sa*, *p* *Pineda*, *q* additq; *B. Gesnerus*: *r* Certè si Hebraei vel Chaldaici fuissent Characteres, à Magis legi potuissent. At tamen, etiam sapientes isti, alio quopiam præpediri poterant, ut sola palmaris Sapientiæ Adorea Danielem maneret. (4.) *Tat.*

f Comment. in
h. l. p. 175.

g Comment. in
h. l. p. 95, E.

h Præfat. in
Libr. Regum.
i Dissert. de lit.
Hebr.

k בְּרָא Disp. 5.
p. 80. seqq.

l Miscell. Sacr.
l. 4. c. 4. p. 429.

m Systemat.
Theol. Tom. 1.

Art. 1. c. 2. qd.
3. p. 17.

n Tom. 1. Syst.
Theol. de Scr.

qu. 28. p. 726.

o Cælo Orient.
Exerc. p. 209.

seqq.
p In h. l.

q Lib. 5. de reb.
Salomon. c. 13.

sect. 4.
r Disp. in h. l.
th. 34.

(4.) *Talmudici* Notis in Vulgus frequentatis, Cabbalisticè autem dispositis, scriptam atq; idcirco Sapientes adsecutos veram minus Lectionem ejus esse, confidenter adfirmant. Cum verò haud unus ex ejusmodi Apicibus positis ac transpositis oriatur modus, certatim jam de vero dimicant. Quorum certamina aperuit *Talmud*, exscriptumq; luci dedit *CL. Hackspan. & b. m.* Quidam enim per speciem Cabbalæ exaratum esse tradidit hoc pacto,

יִטְרָא יִטְרָא אֲרִךְ פּוֹנְחָמַט
מִנְנָא מִנְנָא תִקְרָא וּפְרִסְיוֹן

commutatis elementis superioribus & inferioribus in se invicem juxta Alphabetum, quod אֲתָבַשׁ dicunt, & tale est,

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

§. XIII. (5.) *R. Schmuël* verò transpositas ita voluit litteras, ut initiales istarum vocum constituerent vocem מִנְנָא, secundæ post initiales secundam מִנְנָא, tertiæ tertiam תִקְרָא &c. h. m.

מִמְתּוֹס נִבְקָפִי אֲאֵלְרִן

(6.) *R. Jochanan* quamlibet vocem serie retrogradâ legi debuisse, finxit h. m.

אֲנִם אֲנִם לִקְרָא נִיִסְרָפוּ

(7.) *R. Assè* primas duntaxat cujusvis dictionis transpositas apparuisse litteras, tradidit h. m.

נִמְנָא נִמְנָא קְתָלָא פּוֹרְסִין

Hæc Rabbini, qui tamen nec apud suos, tantum abest, ut apud Nostrates, credulos quosq; offendant. Quapropter & ipsorum domesticus *R. Samuel* adserente *Buxtorfio* ista refutat. Ipse tamen certiora neutiquam substituit. Ait enim, fortè dicendum, figuras litterarum neq; fuisse diversas à communi Scripturâ, nec litteras inversas, sed conjunctas, quasi omnes unam constituerent dictionem, hæc ratione:

מִנְנָא מִנְנָא תִקְרָא וּפְרִסְיוֹן

B 2

quas

s. Massech, Sanhedr. c. 2.
t. In Specimine Talmud. Theol. c. 1 n. 24. p. 25.
Et Dissert. de Cabbal. S. 22. p. 298.

u Gram. Chaldaic. Syr. Praxi l. 3. p. 327.

quas nullus Interpretum in voces significativas colligere potuerit, unde confusi & turbati recesserunt. Postremum, (8.) R. Me-
x In Tract. de nasse Ben Isräel *x* peculiarem jactitat Sententiam, quâ Babylo-
Termino Vita nios Sapientes nec legere, nec intelligere potuisse feralem
p. 160. Scripturam censet, quia ipsi legerint lineâ rectâ à sinistra
 dextram versus, cum longâ debuissent more Chinensium,
 h. m.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| מ | מ | ת | ו | ס |
| נ | נ | ק | פ | י |
| א | א | ל | ר | ז |

§. XIV. Est verò & hoc conjectarium, & cum superius ad-
 ductis conjectationibus citra negotium rejici potest; at com-
 modius quid supponere, hoc Artis videtur esse & Ingenii.
 Impetus utriusq; cum nobis tantus non sit, ut sine alienâ ope
 ad verisimilius eamus, sequemur præeuntem, boni Ducis
 boni futuri comites. Dux autem & Auctor nobis meritò est
 Celebratissimus Philologus, Dn. *Andreas Sennertus*, Præceptor
 ac Patronus noster colendissimus, cum quo adserere minimè
 veremur, à Chaldæorum sapientibus etiam voces simplices,
 quibuscunq; jam exscriptæ fuerint characteribus, monstratâ
 per Danielem Clavi Cabbalicâ & legendi ratione, legi po-
 tuisse, haut tamen evolvi in modum à Daniele post expositum,
 eò quod *σοχαστην* genuinâ; aut verâ Cabbalâ h. e. adflatu
 diviniore non essent instructi. Idem propemodum sentit
 Pererius; *z Existimo*, inquit, quod dicitur non potuisse eos legere
 scripturam, id non de simplici & qualicunq; Lectione, sed de eâ, quæ
 fit cum Intellectu Verborum, certam aliquam ex ipsis Verbis sen-
 tentiam exprimendo, esse accipiendum. Non enim illi legentes
 Scripturam, scire poterant, quam separatim singula ejus Verba sen-
 tentiam redderent, aut quomodo inter se connecti & copulari ad
 certum sensum eliciendum deberent.

§. XV. Frustrâ fortè Phrases, Scripturam legere & Inter-
 pretationem ejus indicare, toties conjunctæ non videntur, sed
 ut posterior *εξηννηκην* sit prioris, uti alibi. Nec, uti ex *ψ. 15.*
 expres-

expressius patet, simplex Lectio Sapien-
tibus denegatur, sed Interpretamentum tantum exscriptarum
Vocum. Quid? quod R. Jacchiad. a videatur eodem tendere quando comma nonum
ita וְשֵׁנִי דִּקְדָּשֵׁי. Quo factum est, ut Rex valde turbaretur, &
splendor Vultus ejus in ipso immutaretur, adeoq; similiter Principes
perturbarentur & perplexè oberrarent, לראות היוורת מהנמע

a Paraphr. in
Daniel. edit.
Constant. L.
Empereur.
p. 94.

quod perspicerent esse impossibile
rem illam magnam mente percipere. Constat enim, Rabbinis
דבר קטון דברי גורר

sensum litteralem, quos geminos quaelibet divina sententia
habet, juxta Verbum eorum, quod Petr. Cuneus b allegat:

b In Tract. de
Republ. Ebr.
l. 3. c. 8.

אין מקרה וצנת מירי פשוטו אברא יש לו פשוטו עם
מרושו ואינו יצנת מירי כלא אחד מהן
Nusquam Scri-
ptura est absq; sensu simplici; sed habet pariter, ut mysticum, ita
& simplicem: His duobus non est ut careat. V. B. Glassii Philo-

logia Sacra. c Ergo non est dubium Jacchiada, intellexisse eos
קטון דבר litteram illius Scripturae, quamvis Cabbalicè pro
singulis dictionibus adferre & sententias integras substituere,
soli Danieli divinitus concederetur. Isthaec tamen in Cab-
balae ludicrae, fallacis, superstitiosae ac impiae Patrocinium
dicta nolumus, siquidem, ut ara lupinis, ita haec à diviniore
Cabbalâ Danieli tributâ, ceterisq; Θεοπνευστοῖς scriptoribus
remotâ impietate, Excellentiss. Dn. Sennerto. d. l. & Schikardo d
adstruentibus, tribuendâ, distat.

c Lib. 2. part. 1.
tr. 1. art. 3.
p. 258.

§. XVI. Adjatus hac praeclarus Vates Sensum Scripturae
furtivae hujus, ut ita loquamur, abstrusum, quae FORMA IN-
TERNA ejus est, feliciter explicuit. Rimabimur nos singulas
voces, quantum in praesenti foro licuerit. מנן LXX. מאן,
numeravit, supputavit, Radix est Chaldaica, cum secundâ
vocali, sicut קרב accessit. Dan III, 26. שרט dominatus fuit
y. 27. Geminata verò, nec non in praeterito posita Certitudi-
nem innuit infallibilem, (ut alibi B. Glassius in Sacra Philologia
& Grammaticâ f demonstrat) quam extemplo insecutum &
Regis & Regni totius tragicum Exitum & Exitium compro-
basse plus satis, remur, Radix Ebraica est מנן idem no-

d In ב"ה disp.
5. p. 93.

e Lib. I. tr. IV.
Sect. 1. can. 4.
p. 225.
f Tract. 2. Ob-
serv. 14. p.
729.



tans; Unde illud **מ** Es: LXV, n. per quod *Lunam* alii, alii *Mercurium*, alii *Planetas* conjunctim, alii totum *Numerum stellarum* deorum loco habitorum olim & ubiq; cultorum, designari putant. Certè dum ex hac Rad. oritur, Astrum tale notabit, quod in dividendo vel distribuendo temporis fluxu conspicuum sit & mortalibus notum. Confer *Nicol. Fuller. g. Beckmannum, b. Försterum, i. Gregor. Francum, k* alios. An cum Idolo Arabum lapideo, sequioris sexus *Menath* Cognationem habeat, non constat. Facit illius verò ex *Beidavi* Mentionem D. Hottingerus.^l

§. XVII. **תקל** LXX. **Θευελ**, *appendit, ponderavit*, non nominaliter, *appensio*, uti quidam, Usitatissimâ transformatione est ex Ebr. **תקל** ejusdem notiois. Quâ verò hanc exponit Daniel, Vox **תקילת** appensus es, participium Præteritum est, flecti solitum per personas, genera & numeros. V. *Chaldaismum Ampl. Dn. Sennerti.*^m Cæterum Locutionem ipsam integram vel à Mercatoribus staterâ & trutinâ, metallorum & mercium explorantibus momenta, vel à nummo adulterino, more Orientalium, qui argentum in lance solebant appendere, aut etiam à Persarum Lege, de nemine, etsi accusato, convicto, benefactorum tamen suorum pondere superato, condemnando, petitam, eleganter deducunt, Dn. *Esselius, n. Joh. Henr. Ursinus, o & Hector Pintus, p*

§. XVIII. Vox tertia **פרס** quam Græci in *Φαγές* detorquent, particip. plurale præteritum est, à sing. **פרס** V. Dn. *Sennerti* *Chaldaism. q* hocq; à **פרס** *divisit, in frustra concidit, in partes dimidias fregit, dimidiavit.* Quæ notio pulchrè à Daniele applicatur. Nam quia *Persæ*, quibus post ruinam *Belsazaris* haut multò post cecidit Regnum, ab eâdem Radice denominationem habent, Eum non ad *dividendi* solum significatum, sed & ad *Persas* *Babylonici* excidii executores acutissimè allusisse, inde elucet. Acumen hocce *ἡ ἀνιγνα* cum *Fr. Junior* vocat D. *Glassius* & talia plura erudite in *Rhetoricâ S.* eruit. Quod autem Propheta plurale **פרס** cum singulari **פרס** commutat, eo ipso ad causas diversas subordinandas respicit. Siquidem, ut Dn. *D. Walther. s* declarat, *Singulare Peres refertur ad causam princi-*

g L.V. Miscell.
Sac. c. 17. p.
673.

b De Origg. L.
L. p. 670.

i Diction. Ebr.
p. 443.

k Lexic. Sanct.
No. 148, p. 187.

l Hist. Orient.
l. 1, c. 7, p. 154.

m p. 36, not. 3.

n L. IV. Adv.
Sac. cap. 3.
p. 13.

o Analect. Sac.
l. 5, n. 25, p. 281.

p Comment. in
b. l. p. 179.

q p. 36, lin. 2.

r Lib. 2. pa.
rall. 8.

s Tr. I. c. 22.
p. 512.

t Harm. Bibl.
p. 628.

principalem istius divisionis, videl. DEUM. Plumle verò Parsini, respicit causas instrumentales DEO in hac divisione servientes, Darium sc. Medum, & Cyrum Persam. Et huiusmodi Coniunctio videtur etiam Es. 13, 17. c. 44, 27. 28. c. 45, 1. Jer. 51, 11.

§. XIX. FINIS à DEO. O. M. in Exaratione huius arcanae Scripturae intentus varius est. Præcipue occurrit Universalis, qui erat, ut cum Gloria Ejus magis à belluante Rege oppugnaretur, tanto eadem enitesceret claritas & Potestas in Regna mundialia. Particularis, ut monstraret, quam triste & lugubre fatum non Regem solum sed ipsam Monarchiam Babylonicam maneret, per brevi consummandum. Secundarios in Textu satis perspicuos fines persequi, Charta prohibet. Ad Locum, à DEO, ubi Manus prodigiosa Scripturam imprimeret, electum properandum. Communis est alius latior, alius strictior. Ille Palatium Regis, quod insignivit Daniel Magnifico nomine **הַבַּיִת**, quod quidem in genere Aedificium pretiosis sumptibus ad usum publicum, vel ad majestatem ostentandam, constructum infert, *ואל עֲזֹרָה* tamen extra Chaldaica V. T. scripta soli Templo Hierosolymitano vendicabatur. Hic Propheta *ו. 10.* **בֵּית מִשְׁתֵּי** Domus convivij, uno verbo, Cenaculum; Sic enim **בֵּית** pro quovis continente seu loco accipitur, uti vel sexcenta exempla à CL. Buxtorfio & Glassio adducuntur. Proprie Domus Computationis à **בֵּית שְׂוָה** bibit, ubi sc. latius editur, bibiturq;. Licet enim à bibendo, ceu à potiori, nomen habeat, comestio tamen ea propter excludenda non est, verba sunt Dn. D. Geieri, qui pluribus videatur.

§. XX. PROPRIUS qui determinatur Locus est **לְקַבְּלֵי נְבֻזַשְׁבַּן** è regione Candelabri seu Lychnuchi. Esse, qui hoc candelabrum ad vasa templi sacratissima à Nebucadnezare rapta furtim, spectasse & ad illustrandum Cenaculum in Ignominiam Judæorum & Numinis ipsorum appensum fuisse, arbitrantur, docet & incertum esse dicit D. Walther. & Ipse cum Fr. Junio & Rolloco usualem credit Lychnuchum, & pensilem quidem, (R. Joseph, mensæ impositum) propterea comparatum, ut in eo lucerna accenderentur protracto in Noctem convivio. Nam alioqui non fuisse hoc Convivium de nocte captum, ex eo apparere dicunt, quod Daniel purpuratus & torquatus tertius à Rege in regno promulgatus est, quod factum

Lexico Talmud. p. 301.
Grammat. S. Tr. 1. cap. 37. p. 143.
Comment. in c. VII. Cohel. p. 223.

2 Conc. 40. in h. l. p. 720.



factum diurnum, non autem nocturnum esse, nemo est qui nesciat. R. Saadias notat, juxta quosdam sic dici, quasi לְכֵר שֶׁתָּנִי *Lucerna filij anni* i. e. per totum annum ardens. Etsi verò haut ignoremus, arte olim ejusmodi instructas fuisse lucernas, quæ non per annum, sed perenniter lucerent, quibusq; spem de Animarum Immortalitate Gentiles testari voluisse, credit Dn. *Ursinus*:^a atamen & hic Babylonios ad morem retrò-gentium vel Earum cum se ætatis, luxum in utendis Lucernis Epularibus auctasse ac splendidiora convivium, etiam interdium, reddidisse, de quibus jucundâ prolixitate disserit Dn. *Fesselius*,^b nec non *Ursinus*,^c probabile est.

^a *Analect. Sac.*
l. 5. p. 301.

^b *Advers. Sacr.*
lib. VII. c. 1.

p. 111.
^c d. l. No. 43.

p. 309.

§. XX. TEMPORIS Characterem demonstrat, Comma quintum & penultimum. Illud manifestatam esse stupendam Scripturam docet in Articulo temporis, cum Gurges impurus opiparo parato convivio securus cum mille Proceribus suis & scurris (quâ de causâ tacetur;) mero se sopiret, vel, ut in Chaldæo est, quando coràm mille vinum biberet. Cum, quid sub recessu hæc haberet formula, perspicerent minus LXX. & Vulgata, aliq; Interpretum, variè torserunt Verba. De mille poculis præcisè haustis Phrasin accipit *Jacchiades*, in Commentationis suæ etiam Germanorum rapiens Cacoëthen, utpote & quibus in more sit, acceptum Vini poculū ante sociū, qui ex adverso est, collocare, ac, ut bibat suâ lingvâ invitare: atq; è vestigio ipse socius aliud vini poculū infundere tenetur: ita ambo simul bibunt, unusquisq; è poculo suo, atq; hoc inter eos est amicitie signum. Sic *Belsazar*, ait, ut Amicitiam erga suos mille principes demonstraret, cum singulis congregiens singula pocula vini plena exhaurire cogebatur, quæ mille consciebant vini pocula: quod per-

^d à Dn. *Hack-*
span. edito n.
112. p. 66.

e *Lib. III. Can.*

Isag. p. 291. &
ad Euseb. num.

1431. p. 85.

f p. 63. & *Isag.*
Chronol. c. 29.


p. 123.


g *Observat. in*
Synops. Beseid.

p. 61.

quam fuit difficile. Quomodo Stomachus ejus capax fuit tantæ vini quantitatis? R. *Lipmannus* in *Nizachon* d ad Hyperbolicè dicta istud refert, quemadmodum illud sit, quod de *Magno Christophoro* quidam Christianorum nugantur. Aliud quid statuit *Pererius* in h. l. Alter Character est Momentum Temporis antegressum noctem, quâ Rex & ab Amicis quidem, tympanis, ut *Scaliger* e explicat, Internecioni datus est. An verò illud expugnatis Babyloniis, an in festivitate Deastro Babylónico sacrâ, an in die Regis natali contigerit, ob satis prægnantes ambigimus rationes. Hoc tamen certum esse arbitramur, ad annum Periodi Julianæ 4159. qui Annus Mundi 3395tus, ab excidio templi 35tus est, id ipsum alligandum esse. Videatur *Calvisius* Opere *Chronolog.* f nec non *Christoph. Adam. Rupertus*, g alii.

תָּלַח אֲבָן:





Ung. VI 17

ULB Halle 3
002 114 550



sb

1517 I







48 yy) 52.

בְּשֵׁם הַקָּדוֹשׁ
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM


De
Prodigiola Manus
Scripturâ in Aulâ Babylonicâ,

ad C. V. Danielis,
publicæ placidæq; sistunt disquisitioni
P R Æ S E S

M. MICHAEL Liebentantz/

&
RESPONDENS
CASPARUS NIBLIGIUS,
Vratislaviâ - Silesii.

A. D. III. Aprilis, A. O. R. clj Ijc LXI.
In Auditorio Minori, Horis antemer.



WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Mendt.

